



1588.  
1588.  
1588.  
1588.

GV  
MARTINUS  
1588





✓<sup>05</sup>  
2. Bde.

alt Nr. 127  
ni 172

Sturmius, J.

quarta Antipappi etc.

4 portus in 2 vol.

nebst 17 anderen Schriften.

K. IV. 42.



12  
DE DEITATE SPIRITVS SAN-  
cti, eiusq; à Patre Filioq; æterna  
Processione, Disputatio.

Ad quam

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis:*

PRAESIDE EGIDIO  
HVNNIO, SACROSANCTAE  
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE OR-  
dinario, M. GABRIEL HECKMANNVS GRVNBERGENSIS,  
die 17. Maij, hora & loco solitis, pro ingenij  
viribus respondebit.



Marpurgi, typis Pauli Egenolphi.

M. D. LXXXVIII.



DE DEBITATE...  
PRÆSENTATIO...  
H. N. M. O. ...

Martinus...  
M.D.C.C.







DE DEITATE SPIRITVS SAN-  
cti, eiusq; à Patre Filioq; processio-  
ne, Disputatio.

\* \*  
\*

Propositio prima.



*Quoniam hoc anni tempore doctrinam  
Deitatis Spiritus sancti altius expen-  
dit Ecclesia: nos hanc Christiani popu-  
li consuetudinem secuti, initio Spiri-  
tum ipsum nominari dicimus, non  
tantum communi illa ratione, qua &  
Pater & λόγος, adeoq; tota Trinitas Ioan. 4.  
ab Essentia simplicitate sic dicitur:*

2. *Sed insuper ratione quadam personali, à spirando, quòd  
à Patre Filioq; in arcano illo mysterio Deitatis ineffabiliter  
spiretur.*

3. *Vnde Scriptura Spiritum oris Iehouæ, spiritum oris  
Christi, spiritum labiorum ipsius, adeoq; Dei omnipotentis  
spiraculum à spirando appellat.*

Psal. 33.  
2. Theff. 2.  
Esa. 11.  
Iob 33.

4. *Est autem Spiritus sanctus tertia Persona Trinitatis, à  
Patre & λόγος inenarrabili spiratione procedens, Deus verus,  
utriq; (Patri Filioq;) consubstantialis & coæternus.*

5. *Esse illum non solubilem aliquem ventum siue halitum,  
sed spiraculum ἐνυπόστατον, propria nimirum personalitate sub-*

A 2 sisten-



sistentem & intelligentem spiritum: idiomata, attributa, opera & beneficia uniuersa, quae illi Verbum Dei tribuit, euidenter arguunt.

6. Inprimis quòd Spiritus sapientia, scientia, intelligentia & reuelationis dicitur: quòd scrutari praedicatur profunditates Dei, & nosse, quae in Deo sunt: diuidere dona peculiari-ter unicuique, sicut vult, &c.

7. Haec aliaque infinita Spiritum sanctum intelligentis esse natura, & personam per se subsistentem firmissime compro-  
bant.

8. Quòd autem sit Persona à Patre Filioque distincta: illu-  
stris patefactio Trinitatis, in baptismo Christi quae contigit,  
dilucidè commonstrat.

9. Ibi enim sub visibili specie columbae se à ceteris personis  
realiter distinctum patefecit.

Ioan. 14.

10. Et dum Saluator Spiritum sanctum dicit Consolato-  
rem ALIVM, quem ipse missurus, & qui in aeternum a-  
pud discipulos mansurus sit: perspicue declarat, illum à Patre  
Filioque verè distinctam esse hypostasin.

11. Imò quotiescunque scriptura totam Trinitatem expri-  
mit (veluti Gen. 1. Psal. 33. Esa. 6. Ioan. 14. & 15. Rom. 8. Gal.  
4. 1. Ioan. 5.) toties Patri & unigenito & Spiritum sanctum,  
ut ab his distinctam personam, annumerat.

12. Porrò quòd tertia Persona dicitur, non eò fit, quòd vel  
tempore posterior, vel maiestate inferior existimetur esse  
Spiritus Patre & Filio: sed quia productionis ordine tertia  
est Trinitatis hypostasis.

13. Sicut enim Pater à nullo est, ideoque prima persona: Fi-  
lius à solo Patre, ideoque persona secunda: sic Spiritus sanctus  
à Patre & Filio est, ideoque tertia in Deitate hypostasis.

14. Deum



14. Deum ipsum esse, primò liquet ex magna illò nomine Dei, Iehoua: quod sibi soli competere, cunctisq; creaturis ἀκοινώνητον esse, Dominus non modò Exodi 3. sed etiam apud Esaiam profitetur, inquit: Ego IEHOVA: hoc nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Esa. 42.

15. Huius autem sacrosancti nominis maiestatem in Spiritum sanctum conferri, indubitata scripturarum ostendit collatio.

16. Etenim qui Num. 12. per Prophetas se locuturum spondet: is est ac dicitur ibi Iehoua. Vnde in suorum vaticiniorum exordijs, factum ad se sermonem Iehoua, testificantur illi serui Dei, sancti Prophetae.

17. Quod ipsum Zacharias, Baptista pater, confirmat, asserens, Deum per os sanctorum, qui à seculis fuerint, Prophetarum esse locutum, Luca 1.

18. At verò Spiritus sanctus est is, qui per Prophetas locutus est, dicente Dauide: Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius factus est per linguam meam. Et Act. 1. legitur, oportuisse impleri scripturam, quam Spiritus sanctus prædixerit per os David de Iuda. Quod ipsum Ephes. 3. 1. Pet. 1. & 2. Pet. 1. repetitur.

19. Ex quo concluditur, Spiritum sanctum esse illum Iehouam, qui per os sanctorum Prophetarum locutus sit, & proinde ex appellatione Iehoua verum Deum.

20. Præ cæteris illustre est, quod cum Esaias capite sexto Iehouam regem exercituum scribat dixisse: Vade & dic populo huic: Auribus audietis, & nõ intelligetis, &c. nihilominus Paulus id ad Spiritum sanctum expresse refert, Act. 28.

21. Quæ loci vtriusq; collatio Dei Spiritum illum pro Iehoua Rege exercituum habendum esse irrefragabili consequentia declarat.

A 3

Cumq;



22. Cumq; Patres in deserto passim scribantur irritasse Iehouam: Esaias id ex historia Mosis repetens, scribit, Patres in deserto irritasse & exacerbasse Spiritum sanctum.

23. Sic etiam Psalmo 95. tentatus memoratur Iehoua à populo Israëlitico. Epistola verò ad Hebraeos in eius loci allegatione introducit Spiritum sanctum ad se hoc transferentem, & in sua persona dicentem: Hodie si vocem eius audieritis, ne obduretis corda vestra, sicut in exacerbatione, in die tentationis in deserto, ubi tentauerunt ME Patres vestri.

24. Hoc, inquam, quia teste Epistola ad Hebraeos, loquitur ipse Spiritus sanctus, se videlicet tentatum à Patribus asseuerans, cum quidem Psalmus, è quo ista citantur, de Iehoua illud pronunciet: denuò conficitur, Spiritum sanctum esse Iehouam, & proinde verum Deum.

25. Id ipsum verò hinc quoq; planum euadit, quòd Deus apertè nominatur in sacris literis.

26. Vt quod Dauid 2.Sam.23. canit: SPIRITVS Domini locutus est per me, & sermo eius factus est per linguam meam. Dixit DEVS Israëlis mihi, locutus est fortis Israëlis, Dominator in hominibus.

27. Pari modo Act.5. ait Petrus ad Ananiam: Cur impleuit Satanas cor tuum, ut mentireris Spiritui sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.

28. Sic Paulus cum dixisset 1. Corinth.3. An nescitis, quòd Templum DEI estis? statim addit: Et SPIRITVS sanctus habitat in vobis. Et rursum immediatè subijcit: Si quis templum DEI profanet, hunc perdet Deus.

29. Et 1. Corinth.12. scribens: Diuisiones donorum sunt, sed idem SPIRITVS: Diuisiones ministeriorum sunt, sed idem DOMINVS, & diuisiones operationum sunt, sed  
idem



idem DEVS: commutatis verbis sententiam eandem reddens ac retinens satis ostendit, quem prius Spiritum appellavit, eundem nunc à se Dominum ac Deum dici.

30. Et grata est collatio sermonis Apostoli, qui ut hic dicit: diuisiones operationum sunt, sed idem Deus efficiens omnia in omnibus: ita paulò post illud efficere omnia in omnibus, quod hic Deo tribuit, ad Spiritum sanctum refert, in-  
quiens: hæc OMNIA autem efficit unus ille & idem Spiritus.

31. Porro Spiritus sancti Deitas hinc quoque patet, quia vnum scribitur esse cum Patre & Filio. Iuxta illud 1. Ioan. 5. Tres sunt in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus sanctus: & hi tres vnum sunt.

32. Quoniam verò non accidente quodam sunt vnum, (in Deum enim non cadit accidens) sequitur esse illos *ὅτι* vnum quid: videlicet vnum illum Iehouam, de quo Moses: Audi, Israel, Dominus Deus tuus Iehoua vnus est.

33. Adhæc quòd veritas in abstracto dicitur, iuxta illud 1. Ioan. 5. Spiritus est, qui testificatur, quoniam Spiritus est VERITAS: certissimum hoc quoque est Deitatis ipsius *χρηθέρων*.

34. Quandoquidem solius Dei hoc proprium est, ut sit ipsa veritas. Angeli autem & homines veraces quidem esse possunt, illorum autem veracitas nunquam cum essentia eorundem conuertitur: alioqui incommutabiliter extitissent veraces, quod lapsus Angelorum & hominum aperte negat.

35. Ipsa quoque æterna illius processio diuinam eius Naturam infallibiliter confirmat: quòd non conditur, ut res creata, sed ex Dei substantia procedit, atque hoc nomine Spiritus dicitur, QUI EX DEO EST, hoc est, ex substantia vel *1. Cor. 2.* essentia eius.

36. Dei-



36. *Deitas Spiritus sancti ex aternitatis quoq; idiomate demonstratur, quia cum res omnes (ut nunc dicitur) creauerit, ante rerum creationem, atq; sic ab aeterno ipse fuerit oportet. Qua de causa Heb. 9. Spiritus AETERNVS nominatur.*

37. *Et quia Creator est rerum omnium, ipsum videlicet opus declarat illum verum omnipotentemq; Deum.*

38. *Etenim Creationem rerum Deus sibi soli sic vendicat, ut extra se nil quicquam in huius diuinissimi operis xoiwvian admittat. Iuxta illud Esa. 44. Ego Iehoua faciens OMNIA, extendens caelos SOLVS, stabiliens terram, & NVLLVS MECVM.*

39. *Iam vero Gen. 1. scribitur Spiritus sanctus incubando fouisse & motasse molem aqueam initio conditam.*

40. *Idq; clarius interpretatur Psaltes: Verbo Domini caeli firmati sunt, & SPIRITV oris eius omnis exercitus eorum, Psal. 33. Et rursus: Emittes Spiritum tuum, & creabuntur, renouabisq; faciem terra. Psal. 104.*

41. *Mosi & Dauidi suffragatur liber Iob cap. 33. Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me.*

42. *Nec non Esaias: apud quem ait Dominus: Spiritus a facie mea egreditur, & flatus ego faciam, Esa. 57.*

43. *Deus hinc etiam cognoscitur ille sacer Spiritus, quod immensa est infinitaq; essentia, & ex propria natura infinitate ubiq; praesens.*

44. *Sicut scriptum est: Quò ibo à Spiritu tuo? Psalm. 139. Et Sap. 1. Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Et cap. 12. eius libri: Incorruptibilis tuus Spiritus est IN OMNIBVS.*

45. *Hinc in omnium fidelium vbiuis locorum existentium*



tium non modò cordibus, sed etiam corporibus habitare, Ec- 1. Cor. 3. & 6.  
clesiæq; toto orbe dispersa præsens adesse scribitur. Ioan. 14.

46. Sed & prædictio venturorum, quæ Spiritui sancto assignatur à Christo dicente: Quæ ventura sunt, annunciabit: ab Apostolis item Actorum 1. 1. Tim. 4. 1. Pet. 1. Deitatis ipsius insolubile argumentum est.

47. Quandoquidem prædictione venturorum, tanquam idiomate sibi soli proprio, Dominus se solum Deum esse demonstrat, Esa. 41. ubi gentilium Deos per ἀποσποφλὴν compellans, ait: Annunciate, quæ ventura sunt, & sciemus, quòd Dii estis.

48. Similiter quòd diuino huic Spiritui absolutissima Omniscientia tribuitur, 1. Cor. 2. Spiritus OMNIA scrutatur, etiam PROFUNDITATES Dei. Quis enim hominum nouit ea, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in eo est? Sic & ea, quæ sunt Dei, nemo nouit, nisi Spiritus Dei. Sap. 7.

49. Deitatis idioma est, hominum corda naturali sua vi cognoscere & perscrutari: sicut scriptum est: Tu nosti SOLVS corda filiorum hominum, 1. Reg. 8.

50. Quantò verò illustrius & euidentius est Deitatis Spiritus sancti πνεῦμα ἁγίου, quòd non tantum corda hominum rimatur (quippe quæ regenerat, flectit, mouet, tacitasq; illorum cogitationes emendat) sed insuper ipsius Dei abyssum perscrutatur?

51. Et quidem non vi alterius cuiusdam diuersæ naturæ reuelantis, sed essentiali virtute propriæ suæ naturæ. Sicut Esa. 40. legitur: Quis direxit Spiritum Domini, & quis fuit ei à consilijs? A quo petijt consilium, & instruxit eum? docuitq; eum semitam iudicij, atq; erudiuit eum scientia, & viam intelligentiarum ostendit illi?

B

52. Vbi



52. Vbi simul elegans consensus Esaiæ & Pauli notandus venit, qui hæc ipsa verba apud Esaiam de Dei Spiritu dicta, directè ad Deum transfert, atq; sic Spiritum sanctum Deum esse comprobat Rom. II. sic allegans Esaiam: Quis cognouit mentem Domini, aut quis fuit ei à consilijs?

53. Idcirco Propheta Esaias ipse in eodem illo contextu, non mutata personâ, diuinam maiestatem Spiritus sancti illustrare pergens dicit: Omnes gentes tanquam nihilum sunt coram eo, minus quàm nihilum & inane reputantur præ ipso. Cui igitur assimilabitis DEVM?

54. Non dubium etiam diuinitatis eius est documentum, quòd ipsius virtute Messias sua in terris signa prodigiaq; fecit.

55. Petrus enim Act. 10. asserit, Iesum Nazarenum unctum esse potentia & Spiritu sancto, vt circumiens in Iudæa curationes (miraculosas illas) operaretur in populo.

56. Hinc Saluator ipse Matth. 12. ad Iudæos ait: Quod si SPIRITV Dei eijcio demonia, peruenit ergo ad vos regnum Dei.

57. Cumq; Lucas eadem verba Christi sic referat: Quod si DIGITO Dei eijcio demonia, &c. nonne ex Euangelistarum harmonia demonstratur solidissimè, Spiritum sanctum esse omnipotentem illum Dei digitum, per quem non solum Christus, sed & Moses olim sua coram Pharaone miracula fuit operatus, ipsis quoq; Magis fatentibus, ac dicentibus: Digitus Dei est hic, Exodi 8.

58. Quoniam ergo Spiritus sanctus est principium & Autor miraculorum diuinorum: omnipotens certe Deus sit oportet, qui solus (virtute essentiali sua) facit mirabilia, Psalm. 72.

59. Por-



59. Porro quia fecundare feminas naturā steriles, est opus diuinae potentiae: quanto magis hinc Spiritui sancto laus Omnipotentiae & Deitatis adscribenda fuerit, quod efficaci illius obumbratione perfectum est, ut virgo viri nescia, praeter rerum seriem, non modo conciperet, sed ipsum Dei unigenitum conciperet & pareret?

60. Quod opus cum non sit ignobilius Creatione caeli & terra, ac nihilominus ad Spiritum sanctum autorem referatur, Matth. 1. Luc. 1. quidni consubstantialis Patri Filioque Deus hinc fuerit agnoscendus?

61. Pari modo, cum Apostolorum mentes subito illustrat cognitione omnium linguarum, quae sub caelo sunt: euidentissimè profecto se omnipotentem Deum ipso manifesto opere demonstrat.

62. Sic cum praestet Omnipotentiae opus soli Deo naturaliter congruum, viuificationem scilicet, iuxta illud Iob 33. Spiraculum omnipotentis viuificauit me. Et 2. Cor. 3. Spiritus viuificat: rursū à diuinissimo effectu Deitas illius euincitur.

63. Dubium quoque nullum est, quin transformare nos homines in imaginem Dei, sit eiusdem potentiae, cuius est & condere ad illam imaginem.

64. Spiritus autem sanctus est, qui nos ad Dei imaginem transformat, secundum haec Apostoli: Nos reuicta facie gloriae Domini in speculo representantes, ad eandē imaginem transformamur à gloria in gloriam, tanquā à Domini SPIRITV. 2. Cor. 3.

65. Ergo potentia conditrici, hoc est, infinita & increata, soli Deo propria praeditus sit necessum est.

66. Quapropter omnipotens in scripturis diserta voce declaratur, Sap. 7. Est in ea (sapientiā) Spiritus intelligēs, sanctus, simplex, multiplex, &c. certus, securus, OMNIPOTENS,



omnia perspicuens, omnesq; intelligētes, puros subtilissimosq;  
spiritus permeans.

67. Hinc Spiritus POTENTIAE Dei appellatur, Sa-  
pien. II. & 2. Tim. I. Spiritus item fortitudinis, Esa. II.

68. Caterum quòd hic diuinus Spiritus ipsum quoq; Mes-  
siam (quà is Homo est) mittit: liquidò hinc aeterna maiestas  
eius effulget.

69. Mitti autem Messiam à Spiritu sancto, testem habe-  
mus Christum ipsum Esa. 48. sic dicentem: Appropinquate  
ad me, audite hoc: non à principio in abscondito locutus sum:  
à tempore, quo fuit prophetia, ibi ERAM: & nunc Domi-  
nus Iehoua misit me, & SPIRITVS eius.

70. Eiusdem generis argumenta petuntur ad astruendam  
Spiritus sancti Deitatem, quòd Dominum nostrum Iesum  
Christum ungit, Esa. 61. & quòd cū potestate quadam ipsum  
in desertum agit, ut ibi tentetur à Diabolo, Matth. 4.

71. Quam in Christum autoritatem, mittendi, ungenti,  
& agendi illum, nec haberet, nec usurparet Spiritus ille Do-  
mini, ni verus esset cum Patre Filioq; Deus.

72. A donis, quae in nobis operatur, hac non minus eui-  
dens ducitur probatio: Omnis donatio bona, & omne donum  
perfectum è supernis est, descendens à Patre luminum, Iac. I.  
At verò omne donum bonum & perfectum descendit à Spi-  
ritu sancto, ut ex professo docet ac testatur Apostolus I. Co-  
rin. 12. Ergo Spiritus sanctus est pater ille luminum, Deus: à  
quo solo omne donum perfectum prouenit.

73. Quid, quòd sancto illi Spiritui suprema assignatur Ec-  
clesiastici Ministerij gubernatio, soli aliàs Deo competens?  
Sicut plena sunt diuinae autoritatis potestatisq; verba, Acto-  
rum 13. Cum sacrificarent Domino, ieiunarentq;, dixit SPI-

RITVS



RITVS sanctus: Segregate MIHI (mibi, inquit) Barnabam & Saulum ad opus, ad quod accersui eos.

75. Et mox scribuntur ijdem hi Apostoli emissi à Spiritu sancto annunciaſſe sermonem Dei in Synagogis Iudaorum.

76. Sic quæ decernunt Apostoli & Presbyteri in Synodo Ierosolymitana: ea ad Spiritum sanctum ceu supremum Concilij gubernatorem atq; Præsidentem palàm referunt. Act. 15.

77. Is etiam cum autoritate vetat (certis de causis) sermonem loqui in Asia, nec permittit Apostolis ire in Bithyniam Act. 16.

ad annunciandum verbum Euangelij. Et de hoc Spiritu ait Paulus Ephesinæ Ecclesiæ presbyteris, quòd Spiritus sanctus posuerit illos Episcopos ad regendum Ecclesiam Dei, Act. 20.

78. Quæ omnia luculenter euincunt, autoritatem illi in constituendo regendoq; Ecclesiæ Ministerio asseri planè diuinam, atq; omninò illius agnosci Magistrum ac Dominum.

79. Verùm ut pertexamus argumenta reliqua, cum in solius Dei nomine iurare fas sit, Deut. 6. Paulus verò per Spiritum sanctum, tanquam conscientia suæ testem & scrutatorem iuret, Rom. 9. hoc ipso certè Diuinitatis gloriam illi non obscure tribuit.

80. Iam verò dum blasphemiam in illum iactam neq; in hoc neq; in futuro seculo remitti Christus asserit: ex hoc quoque adoranda maiestas eius Sole clarius elucet. Matth. 12.

81. Baptismum Petrus definit fædus bonæ cōscientiæ cum Deo, 1. Epist. 3. Quoniam ergo non minus in Spiritus sancti nomine, quàm vel Patris vel Filij, ex ipsius Christi institutione & mandato, baptizamur: sequitur ipsum Patri Filioq; ὁμοῦσιον Deum existere. Matth. 28.

82. Hinc beati Angeli supremum ei cultum adorationis dependunt, acclamando: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, Esa. 6.

83. Quod



83. Quod *τελειότιον*, totamq; eam visionem ad Spiritum sanctum quoq; pertinere non modo ex terna acclamatione totam Trinitatem spectante, sed etiam ex Apostoli interpretatione supra ex Act. 28. allegata claret.

84. Et propterea in symbolo Apostolorum credere dicimur in Spiritum sanctum: hoc ipso Deum illum confitentes, extra quem fiducia cordis in nullam creaturam absolutam ponere fas est, Ierem. 17.

85. Deniq; quod hominum mentes illuminat, corda eorum potenter flectit & conuertit, ungit & obsignat ea, & motus plusquam humanos in electis ciet, regit & gubernat uniuersalem Ecclesiam, sanctificat illam & saluat perpetuo: ex his operibus simul omnib. virtus ipsius plusquam creata planeq; infinita Deitas palam cernitur ac demonstratur.

86. **P**roprietatem hypostaticam eius quod attinet, qua discernitur à Personis ceteris: tenendum est, illum à Patre Filioq; extra omnem rationem cogitationemve temporis ab aeterno procedere.

87. Sicut scriptum est Ioan. 15. Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.

88. Quod autem à Filio quoq; procedat, hinc primò per inuictam *ἐκ τοῦ υἱοῦ* ostenditur, quod Spiritus nominatur **L A B I O R V M & O R I S** Christi.

89. Esaias enim de Messia, surculo è radicibus Isai orituro, vaticinans, affirmat inter cetera, eum **S P I R I T V L A B I O R V M** suorum interfecturum esse impium.

90. Paulus verò 2. Thess. 2. de Antichristo differens scribit: quem (Antichristum) Dominus conficiet **S P I R I T V O R I S** sui, & abolebit claritate aduentus sui.

91. Vbi

Esai. 11.



91. Vbi postremum hoc (abolebit claritate aduentus sui) hac luce illustrius edocet, de Christo hic agi. Huic quippè assignat scriptura aduentum huiusmodi ad iudicium. Huic quoque Spiritum oris, hoc est, spiritum ex ipso prodeuntem, & ex diuino ore essentia illius procedens spiraculum tribuit.

92. Quod ut dilucidius appareat, querere lubet ex huius Articuli oppugnatoribus, ut rationem nobis explicent, ob quam Spiritus sanctus Psalm. 33. nominetur spiritus oris Iehouæ, hoc est, Dei Patris?

93. Non possunt illi causam ullam reddere aliam, quàm quæ pridem in scripturis reddita est, quia scilicet Pater hunc omnipotentem spiritum ex ore sua substantia spirat: unde & spiraculum Dei vocatur, tanquam indissolubile flamen à spirante Patre procedens.

94. Si ergo non nisi ob hanc spirationem & diuinum è Patre processum dicitur Spiritus oris paterni: sequitur quòd nec ob ullam causam aliam dicatur, vel dici etiam in æternum possit Spiritus Oris & labiorum Christi, quàm quod & Filius eundem ex sua substantia, spirando producit.

95. Sumpta videlicet ἀναλογία à flatu humano per os atq; labia hominis emisso. Ut solet scriptura in his loqui mysterijs ἀνδρωποπαδῶς.

96. Cùm quidem aliàs nec Pater nec Filius in Deitate os corporale habeat, sed uterq; una quadam communi spirationis ἐνεργεία tertiam illam hypostasim modo in omnem æternitatem inexplicabili producat.

97. Quamuis enim Pater & Filius personis sunt distincti: tamen ob essentia unitatem fit, ut non diuersa spirent spiracula, sed ὁσίας identitate unum sint (ὡς δύο ζῶντες in vno eodemq; consubstantiali spiritu producendo).

98. Hoc



98. Hoc tamen obseruato discrimine, quòd Pater hanc spirandi potestatem à semetipso habet: Filius autem per ineffabilem à Patre generationem ἀρχὴν καὶ ἀρχαίως accipit, ut de ipso quoque æternum illud Spiraculum procedat.

99. Ideoque, insufflando conferens Apostolis Spiritum sanctum, per illius corporei flatus ex humano ore eius egressi congruam significationem declarare voluit, esse Spiritum illum sanctum in Deitate Oris & labiorum suorum spiraculum.

100. Propter hanc processionem diuinam ex Filio, dicitur non minus Filij Spiritus quàm Patris. Iuxta Apostolicum illud Gal. 4. Quoniam estis filij, emisit Deus Spiritum FILII sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater.

101. Neque locum habet cauillatio: Spiritum filij nominari, quòd cum filio eiusdem sit essentia. Aliàs enim ob eandem unitatem essentia Filius posset etiam dici Spiritus sancti filius: quod omnium est absurdissimum.

102. Sicut autem Filius tantum eius est filius, à quo generatur: sic Spiritus sanctus, cum à spirando sic dicatur, ut supra demonstratum est, eius tantum est (naturà) Spiritus, à quo spiratur & procedit.

103. Filij itaque Spiritus non esset, si illum solus spiraret Pater, Filius autem ab hac Maiestate esset alienus.

104. Neque potest affirmari, Spiritum sanctum in Apostoli dicto vocari Spiritum Filij per gratiam: sicut per donationis gratiam est electorum spiritus.

105. Talis enim donatio gratuita in absolutissima perfectione Deitatis locum habet nullum: ubi non gratia donum, sed θεὸς ὁὐκ ἔστιν ἔνδοξον regnat inter diuinas hypostases.

106. Si ergo Spiritus sanctus non est Filij spiritus per donationis gratiam: immediatè & necessario relinquitur, quòd



quod per naturam sit Filij spiritus, atq; sic per & propter hypostaticum ex eo processum.

107. Vnde primo statim capite Genesios, ut & alibi, spiritus Elohim, Deorum, nuncupatur: quod scilicet plurimum, quam unius, in Deitate personarum sit spiritus natura. Vox quippè Elohim, ὑποστάσεων in Deo pluralitatem designat.

108. Insuper si tolleretur processio Spiritus sancti à λόγῳ, nonne λόγῳ proprio destitueretur spiritu, quod diuina Maieitati ipsius derogaret?

109. Hac quoque ratione nulla esset hypostatica cognatio, nullus intrinsecus respectus Filij ad Spiritum sanctum, & huius ad Filium: cum tamen Trinitatis absoluta perfectio requirat, ut productionum respectibus quibusdam Personæ omnes ad se mutuò, adeoq; singule ad singulas referantur.

110. Sic Pater hypostatica relatione refertur ad Filium, ut Genitor ad suam progeniem. Filius ad Patrem, ut genitum ad gignentem. Pater ad Spiritum sanctum, ut spirans ad suum spiraculum. Spiritus sanctus item ad Patrem, ut spiraculum ad spirantem.

111. Inter solum Filium & Spiritum sanctum nulla personalis interueniret relatio, sed quoddam velut διάσπυρα relinqueretur inter utriusque ὑποστάσεων, sine ullo personali nexu: Quod à sacrosanctæ τριάδος maiestate prorsus alienum est.

112. Conuelleretur etiam Ordo, qui est inter personas Trinitatis. Quandoquidem si Spiritus sanctus à solo esset Patre, sicut Filius à solo Patre est: ratio reddi posset nulla, cur Spiritus sanctus non pro secunda potius haberetur persona, quam pro tertia.

113. Quoniam verò hic est inter Personas ordo, ut Pater prima sit persona, Filius secunda, Spiritus sanctus tertia,

C quod



quod formula baptismi, Matth. 28. luculenter ostendit: sequitur, istum ordinem vel ex inaequalitate essentiae oriri, vel ex personali origine.

114. At verò non oritur ex inaequalitate Essentiae: unum enim sunt essentia. Relinquitur ergo, quòd ex personali origine ordo hic existat, ut Pater sit in Deitate hypostasis prima, quia à nullo: Filius secunda, quia à solo Patre: Spiritus sanctus tertia, quia ab utroq.

115. Et quoniam una ad numerum est Essentia Patris & Filij, quò poterit Spiritus sanctus hypostatica origine filio posterior, procedere ex essentia Patris, nisi etià ex essentia Filij procedat? nisi aliam dicamus Essentiam Patris, è qua procedat Spiritus, aliam Essentiam Filij, è qua non procedat: quod à catholica veritate δις διὰ τῶν dissideret.

116. Neq. nos Graecorum mouet instantia, dicentium, hoc modo secuturum, quia Pater & Spiritus sanctus etiam sint ὅα unum, ut Pater è sua substantia gignere non possit Filium, nisi & Spiritus sanctus ob unitatem substantiae in ista generationis ἐνεργεία concurrat.

117. Quod tum demum sequeretur, si ex sola Essentiae communione, neglecta personarum τῶν, colligere liceret.

118. Et certè si τῶν & originis ratione Spiritus sanctus esset Filio prior: omninò propter essentiae unitatem ad generationem Filij concurreret cum generante Patre.

119. Quoniam verò non Spiritus Filio, sed Filius Spiritus prior est, si personalem illam τῶν spectes, qua Filius secunda est persona, Spiritus tertia: idcirco non Spiritus Filium producit generando, quia personarum ordine posterior est: sed Filius tanquam ordine personali prior spirando producit Spiritum sanctum, in eoq. producendo fit unum cum Patre

συνοδικα



αὐτῶν δύο ἕνεκεν, ob Essentiae scilicet unitatem non consideratam  
nude & simpliciter, sed cum originis siue ordinis prioritate  
in Filij persona connexam.

120. Hinc fit, ut cum nusquam legatur Filius Spiritus  
sancti filius, vicissim tamen Spiritus sanctus Filij spiritus  
appelletur, ut & supra dictum est.

121. Et ut in argumentorum structura progrediamur:  
certè si Spiritus sanctus non à Filio quoque procederet: ius vel  
mittendi eum, vel eo unguendi & ob signandi alios non haberet.

122. Quae autoritas mittendi illum ab aeterna processione  
dependet, etiamsi missio temporalis cum processione non sit  
unum quid, sed hanc illa ceu causam praesupponat.

123. Ideò enim Pater à nemine mittitur, quia à nullo est.  
Et ὁ ὢν, etiamsi quā Homo mittatur à Spiritu sancto quo-  
que, tamen quā Deus est, à solo Patre mittitur, quia à solo  
Patre est. Spiritus sanctus verò mittitur ab utroque, quo-  
niam ab utroque est.

124. Et quod de Spiritu illo sancto Saluator ait: Non lo-  
quetur à semetipso, sed quaecumque audierit, loquetur, & quae  
futura sunt, annuntiabit vobis. Ille me glorificabit, quia de  
meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quaecumque habet  
Pater, mea sunt. Propterea dixi, quòd de meo accipiet, & an-  
nuntiabit vobis, &c. His non unum, sed plura longè firmissima  
continentur argumenta, quibus nostra sententia fundatur.

125. Primò quidem illud, quod bis repetit Christus: De meo  
accipiet. Etenim quoniam nihil in tempore accipit à quoquam,  
iuxta grauißimum testimonium Esa. 40. paulò ante citatum:  
sequitur necessariò, sanctum Dei Spiritum sapientiam istam  
facultatemque, docendi Apostolos & de futuris annunciandi,  
ab aeterno accipere à Filio.

Ioan. 16.



126. Ab aeterno autem nil quicquam accipit, nisi essentiali communione per processionem: sicut & Filius aeternaliter nil quicquam accipit, nisi essentiali communione per generationem à Patre.

127. Si ergo Spiritus accipit à Filio ab aeterno: per processionem accipiat ab eo necesse est: Sicut & à Patre per processionem accipit.

128. Nec enim ullus alius accipiendi modus in aeterna κοινωνία Trinitatis Spiritui sancto competit.

129. Neq; verò his obstat verbum futuri temporis, Accipiet. Κατ' ἀνδρῶν ποπ' ἀδειαν enim loquitur Saluator, & respectu quodam ad futurum opus diuini Spiritus, quo ex sapientia ab aeterno accepta, communicaturus erat dona Apostolis in die Pentecostes.

130. Porro quia ex assertione Christi planum est, Spiritum sanctum suam scientiam sapientiamq; (qua & erudire discipulos, & ventura prænunciare valet) acceptam ferre Christo: planum etiam hinc euadit, illum quoq; ἐπὶ σαοὶν suam acceptam ferre Christo.

131. Siquidem scientia Spiritus sancti non est aliquis in illo accidentalis habitus, sed omninò nihil aliud, quàm diuina eius hypostasis.

132. Atq; sic hypostasim suam accipit non tantum à Patre, ut cõtendunt, qui processionem eius à λόγῳ negant: sed etiam à Filio, ut nos sentimus.

133. Ab hoc enim si non acciperet hypostasim, nec scientiam ab eo acciperet: quandoquidem scientia cum hypostasi eius simplicissimè conuertitur.

134. Et quid ad obtinendum propositum nostrum vel certius vel illustrius afferrì possit, quàm quòd in sua illa concione ad-



ne addit: *OMNIA, QVAECUNQUE* habet Pater, mea sunt? nil quicquam inde excipiens, quàm hoc solum, quòd is Pater, Christus verò Filius est?

135. Et quoniam principaliter ibi de Spiritu sancto agit Dominus (ita coherente textu: De meo accipiet & annuntiabit vobis. Omnia quaecunq; habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quòd de meo accipiet, & annuntiabit vobis) indubitato hæc inde concluditur sententia, quòd Patris spiritus, sit quoq; Christi spiritus.

136. Quæ indiuisa vnius & communis Spiritus *νοινωβια* præstet, ut Spiritus ille sanctus non solum de eo, quod Patris est, sed etiam de eo, quod Filij est, accipiat.

137. Aliàs nequaquam Omnia, quaecunque habet Pater, haberet & Filius naturâ (de gratuita enim donatione, quæ in Deitate locum non habet, hic nihil agitur) Quandoquidem Pater spiraret, & haberet proprium spiritum, quem neque spiraret neq; possideret naturâ Filius: atq; sic nobilissimū id bonum, Spiritus, Dei Patris virtus & sapientia, deesset filio: contra hanc Saluatoris apertissimam assertionem: *OMNIA, QVAECUNQUE* habet Pater, mea sunt.

138. Nihil autem proficiunt Orientales Græci, dum tantoperè urgent illud Christi, dicentis, Spiritum sanctum è Patre procedere. Quod nemo nostrum negavit unquam.

139. Interim verò, quia non dicit Dominus: ex *SOLO* Patre ipsum procedere: palàm est, consequentiam argumenti illorum esse nullam.

140. Aliàs pari modo vniuersa, quæ de Patre dicuntur, apud Iohannem Euāgelistam maximè, neganda essent Filio.

141. Ut quòd Christus ait Ioan. 10. Patrem esse maiorem omnibus: quod inquit: Pater in me manens, ipse facit opera,



Ioan. 14. quod Ioan. 17. etiam adiecta exclusiua voce (quæ tamen in dicto de processione Spiritus à Patre, non additur) pronunciat, Patrem esse solum verum Deum: & plurima alia, quæ in Euangelio Iohannis & alibi occurrunt.

142. Si verò hæc, videlicet esse maiorem omnibus, facere opera, & esse verum Deum, non propterea negantur Filio, quia Patri tribuuntur: Sole clarius effulget, neq; Orientalium argumentum valere, quo Spiritum sanctum à Filio non procedere contendunt, quia Christus hanc maiestatem Patri adscribat.

143. Quin adeò non sequitur: Spiritus sanctus procedit à Patre: Ergo non procedit à Filio: Vt potius inuertendo sic argumentari liceat: Spiritus sanctus procedit ex Patre: Ergo procedit etiam à Filio.

144. Ratio consequentiæ est, quia Pater & Filius unum sunt <sup>scilicet</sup>, Ioan. 10. & est uterq; origine personali (licet non temporali) Spiritu sancto prior.

145. Ideò impossibile est, ut ex Patris <sup>scilicet</sup> procedat Spiritus, quin etiam ex Filij <sup>scilicet</sup> procedat, ut paulò ante satis est expositum.

146. Sic ergò Filius etiam hac in parte est gloriæ paternæ expressus character, eiusq; exquisita imago, Heb. 1.

147. Quis si Spiritum non produceret: in re longè omnium maxima diuinissimãq; Patris imago vel character appellari posset minimè: quippè quòd in ipso non reluceret illa diuina vis atq; facultas spirandi consubstantialem spiritum.

148. Porro cum procedere ex Deo Patre Filioq; dicitur & creditur Spiritus sanctus: non quidam Spiritus sancti extra spirantis Patris & <sup>scilicet</sup> essentiam recessus fingendus est.

149. Sed huiusmodi ex ore Patris & unigeniti processio,  
qua



qua distincta quidem ab ipsa persona esse intelligatur, ita tamen, ut essentialiter in Patre Filioque maneat.

150. Quo modo & Filio per generationem quidam à diebus aeternitatis egressus tribuitur Mich. s. ratione personalis nimirum subsistentiae, qua à genitore suo distinctus est, ut illud egredi, idem sit, quod personaliter distinctum esse: ita tamen, ut is hypostaticus egressus Filium intra *ὁσίαν* atque sinum Patris aeternum permanere sinat.

151. Quod autem Spiritus sanctus nullam de se personam producit aliam: id diuina ipsius maiestati usque adeo nihil adimit, ut eandem potius inenarrabiliter illustret.

152. Sicut enim haec est Patris & Filij relata seu hypostatica perfectio, ut ob Deitatis plenitudinem, quae tanquam bonum sui ipsius communicatum solitudinem non patitur, Pater in generationem consubstantialis Filij se proferat: & Pater ac Filius mutuo suo essentiali amore spiraculum *ὁμοσίον* producant:

153. Sic cum producentium & productorum non sit infinita in Deitate series, sed adoranda *Τείαδ* perfectio requiratur, ut in aliqua Persona productio illa terminetur: manifestum est, pertinere hoc ad eminentissimam perfectionem Spiritus sancti, quod in ipsius sancta hypostasi ceu basi tota acquiescit Trinitas, velut omnimodam suam perfectionem in ea iam consecuta.

154. Quomodo igitur imperfectus habendus sit is, qui in sua subsistentia personarum productionem illam finit, absoluit & perficit, totamque Trinitatem in consummata perfectionis orbem sic reducit, ut in hoc Spiritu Pater & Filius unice acquiescant?

Quo



155. *Qui etiam à perfectissimis spirantibus ipse perfectis-  
simum productum est, eandem numero essentiam, Deita-  
tem, sapientiam, omnipotentiam, &c. absolutissima κοινωρία,  
que ὑσιώδης est, ὀλικῶς obtinens ac possidens.*

SOLI DEO GLORIA.













153 737

AB 153 737

ULB Halle 3  
002 700 247



Sl.









12

DE DEITATE SPIRITVS SAN-  
cti, eiusq; à Patre Filioq; æterna  
Processione, Disputatio.

Ad quam

*In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis:*

PRAESIDE EGIDIO  
HVNNIO, SACROSANCTAE  
THEOLOGIAE DOCTORE ET PROFESSORE OR-  
dinario, M. GABRIEL HECKMANNVS GRVNBERGENSIS,  
die 17. Maij, hora & loco solitis, pro ingenij  
viribus respondebit.



Marpurgi, typis Pauli Egenolphi,

*M. D. LXXXVIII.*

